



Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Veluti Totidem Ramos
Distributa

Ilsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCCLXXXVIII. Christus ascendit Jerosolymam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

PUNCT. III. *Hoc autem à semetipso non dixit: cùm esset Pontifex anni illius, prophetavit, quòd IESUS illis moriturus erat pro Gente, & non tantum pro Gente, sed Filios DEI, qui erant dispersi, congregaret in unum. V. Id est, Fideles ex Gentilibus, & ex Judæis in unam Ecclesiam congregaret. Sic etiam Superiores non prophetant; quia nos ipsi non scimus quidquam, ne cogitamus, quod expedit nobis. Illorum ergo iudicio nos penitus committamus; quia hoc ipso, quod Superiores sint, à Deo reguntur, & illustrantur, ut etiam si malè erga nos affecti essent, & nostrum bonum minimè intenderent, id tamen procurarent; illicut Caiphas suā sententiā procuravit Redemptionem totius Generis Humani, & Exaltationem Christi cùm ipse prorsus aliud intenderet.*

MEDITATIO CCCLXXXVIII

Christus ascendit Jerosolymam.

Marc. 10. v. 32.


PUNCTUM I. *Erant autem (Christus & Discipuli) in via ascendentes Jerosolymam: & præcedebat illos IESUS, & stupebant: & sequentes timebant. Marc. 10. v. 32. Considera ex eo, quòd Christus ab Evangelista dicatur præcessisse ad locum Passionis, indicari ingens desiderium, & promptitudinem patiendi, atque ad se alacriter sequendum alios incitandi: quandoquidem Momentaneum ac leve tribulationis nostra supra modum Aeterna Glorie pondus operatur in nobis. 2. Cor. 4. v. 17. Unde immerito etiam Sequentes timebant. Timeant potius ij , qui Christum non sequuntur.*

PUNCT

PUNCT. II. *Et assumens iterum Duodecim, cœpit illis dicere, quæ essent ei ventura. Quia ecce ascendimus Jerosolymam, & Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & Scribis, & Senioribus, & damnabunt eum morte, & tradent eum Gentibus: & illudent ei, & conspicient eum, & flagellabunt eum, & interficiant eum, & tercia die resurget. Considera, quæ causæ fuerint hujus Sermonis Christi, ac Vaticinij. Hæ nimirum 1. ut, quemadmodum Christo volupe fuit, cogitare & loqui, de sua Passione, sic & nos Exemplo suo doceret libenter de ea cogitare, audire, & loqui, cum gratitudine & desiderio similia patiendi. 2. Ut, quemadmodum Christus hoc Vaticinio ostendit, Passionem suam non esse sibi improvisam, nec ingratam; sic & nos moneret, ut adversa nobis patienda prospiceremus, & in ea nos resignaremus, memores Felicis & Gloriosæ Resurrectionis: si tamen compatinur. Rom. 8. v. 17.*

PUNCT. III. *Et ipsi nihil horum intellexerunt: erat enim Verbum illud absconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur. Luc. 18. v. 34. Non sic nos de Passione Christi audiamus, sed ejus veritatem, utilitatem, ac necessitatem penetremus, & cum magno fructu, ac multiplici affectu meditemur. Sapiamus ea, quæ DEI sunt, observantes illud S. Pauli monitum, Philipp. 2. v. 5. Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo IESU.*

¶c.



MEDI.